



~~9-17-18~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.

L. S. N. J.
Tractatio Philosophica
QVÆSTIONIS:

An Causa prima immédia-
tè concurrat ad effectus cau-

farum secundarum?

JOHANNI LALEMANDETIO

Minimorum per Germaniam &c. Provinciali potissimum
opposita

PRÆSIDE

M. JACOBO TENTZELIO

Colleg. Philosoph. Adjuncto

RESPONDENTE

JOHANNE RUDOLPHO KEGELIO

Pofonio-Hungaro,

in Celeberrima Wittebergensi ad d. 1. Augusti

in Auditorio Minori

publicæ ventilationi

exposita.

WITTEBERGÆ, Literis Johannis Haken, M DC LVII.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF SACHSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG
BIBLIOTHEK



An causa prima immediatè concurrat ad effectus causarum secundarum ?

Membr. I.

Dissensum Authorum exponens.

I. **M**ulta de concursu causæ primæ cum secundis disputare solent, è quibus nunc eam, quæ proposita est, quæstionem tractandam nobis seligimus. Solet circa eam *Durandus à S. Porciano* citari, qui in 2. dist. 1. q. 5. & dist. 37. q. 1. negat, Deum per se & immediatè concurrere cum causis secundis, quod ipse solùm creaverit naturam, indiderit virtutem agendi & utramque conservet, de cætero igitur res agant per hujusmodi virtutem sine quovis alio Dei concursu. *Durando* adjungunt nonnulli *Anreolum* in 2. dist. 38. q. un. a. 1. qui idem sentiat. Sed & ante *Durandum* opinionem hanc penes nonnullos viguisse *Svarez* notavit d. 22. Met. s. 1. n. 2. cum illam referant *Albertus, Henricus & alii*, imò *D. Augustinus* 5. Genes. ad lit. c. 20. *Johanni Lalemandetio* verò si credendum, tempore *Magistri sententiarum* opinio hæc fuit solennis in Schola (quod ex *Argentina* adducit) & *Præpositivus*, quem *magnum Clericū* vocet *Thomas* (alibi eundem hereticum esse dicit) concursum illum negavit.

II. Hæc tamen opinio reprobata adeò fuit à Scholasticis communiter, ut tempore *Alberti M.* jam ipsa ferè cesserit ab aula, & multis reputata fuerit hæretica, si ipsi credendum in 2. dist. 35. a. 7. Post verò planè rejecta fuit è Schola & contraria sententia, quod nimirum **D E U S** per se & immediatè agat in omni actione creaturæ, communis Scholasticorum fuit, qui, si *Svarius* l. d. n. 7. verum dicit, ita sentiunt de hac veritate, ut de Catholico dogmate, adeò, ut altera illa *Durandi à Thoma* in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. proxima censeatur duobus erroribus, nempe quod sint duo principia, unum bonorum, alterum malorum; & Deus non sit causa universalis, imò juxta *Capreolum* in 4. dist. 12. q. 1. sit doctri-

na Pelagii & juxta *Suarium l. 1. de concursu Dei c. 4. ab omnibus probatis Theologis non solum reprehendatur, sed etiam ut error in fide rejiciatur.*

III. Nec minus è Nostris tam Theologicis, quam Philosophicis Scholis eliminata planè est. Theologica Theologorum scripta ranceo, neque in Philosophicis autoritatibus allegandis proluxus ero, res quippè clara satis est. Duos hujus Academiæ celeberrimos Theologos & Philosophos nominasse sufficiat. *B. Jac. Martini li. partit. Metaphys. 11. q. 7.* multis cõtra *Taurellum* probat concursum huic causæ primæ in immediatum & cum *Scaligero Exerc. 77. f. 5.* statuit, quod omnia, quæcunque agunt aliquid, vi ac virtute primi agentis agant. Hunc sequitur *Dn. D. Scharfius tam in Theor. Transc. app. 2. disp. X. §. 22. in 1. lib. 2. Pneum. c. 5. q. 1.* asserens itidem, quòd Deus per se & immediatè concurrat ad omnes actiones & effectus omnes causarum secundarum ita, ut omnia, quæcunque agunt aliquid, vi & virtute primi agentis agant.

IV. Utut verò hæc opinio adèd communiter reprobata hætenus fuerit, sæculum tamen nostrum, quod nescio quò fatò ita comparatum est, ut nihil ferè unquam tam absurdum ab aliquo assertum fuerit, quod non suum hic inveniat defensionem, etiam huic obsoleto errori novos dedit Patronos. Non dicam de eo, ad quem *Lalemantius* ex recentioribus provocat, *Petro de Aquila in 2. disp. 14. q. 2. a. 3.* *Ludovicus à Dola, Monachus Capucinus* ante annos non adèd multos hanc *Durandi* opinionem rursus suscitavit, eamq; *unicum medium & remedium* tollendis illis *libris idoneum proposuit, que rot jam annos inter Dominicanos & Jesuitas agitantur de ratione concursus divini, de prædeterminatione, scientiâ mediâ, naturâ libertatis &c.* Et ut majorem huic suæ opinioni autoritatem conciliet, citat pro ea *Augustinum, Anselmum & Thomam: E Scholasticis Alensem, Bonaventuram, Scotum, Aureolum, Scotellum, Bonetum, Palantherium & ex aliis Hermacatum, Petrum Pomponacium, Reynerum de Pisis & alios, & maxime Concil. Trid. s. 6. can. 6.* ut multis exponit *Franc. Bone Spei part. 1. Phys. tr. act. 2. d. 7. dub. 3.*

V. Eandem opinionem post prolixè collatâ & ventilatâ r-

tri-

triusque partis argumenta Johannes Lalemantius, Ordinis Minimi. S. Francisci de Paula per Germaniam, Bohemiam, Moraviam provincialis, Theologiae ac Philosophiae publicus & Jubilarius Professor part. 2. decis. Philos. sive d. 4. Phys. partit. 4. inculcat & decidit, posse sustineri atq; defendi negationem immediati concursus, nec hoc esse haereticum, neq; erroneum, imò addit, facili negotio sese expedire Philosophos à multis labyrinthis, non admittendo immediatum concursum Dei. Nulla enim, inquit, Deo inferretur injuria: Item quanto melius contra Calvinum defenderemus, Deum nullatenus esse autorem peccati. Item quod evidentius salvaretur hominis libertas, in qua conservanda cum sua praedeterminatione tantoperè laborant & laborarunt Thomistae. &c.

VI. Ex ceteris verò Scholæ etiam Pontificiæ Doctoribus hæc opinio non invenit multos defensores, rejecerunt potius eam in scriptis Philosophicis præter paulò antiquiores communiter, ex novis planè dictus Franc. B. Spei Carmelitarum Reformatorem provincie Belgicæ Generalis & Theologiae Professor locò allegatò, ubi tutorem & majoris autoritatis ac veritatis contrariam sententiam esse dicit: Philippus à Sanctissima Trinitate Carmelitarum Discalceatorum provincie S. Theresie in Gallia Provincialis in 1. 2. Summe Philos. q. 1. a. 1. Jacobus Fournenc. Presbyter Congregationis Oratorii D. Jesu Doctor Theologus Tom. 3. Syn. Univ. Philosophie 6. 20. ubi p. 114. contra Durandum & Ludovicum à Dola non tantùm hanc format conclusionem: Prima causa concurret actu cum omnibus causis creatis; sed & addit: contrarium in naturalibus est temerarium, & in supernaturalibus haereticum. Taceo plures. His solum è Calvinianis adjungo Joh. Strangium, Theologum Glasgvensem primum, in libro de voluntate & actionibus Dei circa peccatum aliquoties, & Adrianum Heereboord, Philosophum Lugdan. Vol. 1. Melet. Philos. d. 7. hanc quoque opinionem in Lud. à Dola ex professo refutantes.

Membr. 2.

Statum controversiæ proponens.

I. Non fert nunc animus præsentem controversiam Theologicè tractare & argumenta ex Sacra Scriptura petita pro & contra ventilare: Neque vel in mente. n. Concilii Tridentini.

vel Patrum ac aliorum autorum scrupulosè inquirere placet, quod jam alii præliterunt: Nimis etiam prolixum foret, si quæ *Lud. à Dola* pro sua opinione adducit, examinaremus. Igitur ea præcipuè, quæ *Lalemandetius* circa præsentem controversiam philosophicè monuit, ventilationi subijcere constitutum est. Ubi initio probari posset, quod detur aliqua causa prima, in quo prolixa sisteretur materia ventilandi argumentatum quæ ab *Aristotele* & aliis communiter pro negando processu in infinitum in causis & probandâ causâ aliquâ primâ urgentur, tum quæ *incomparabilis ille Philosophie illius accuratissime*, si Diis placet, *inventor. Renatus Cartesius, in meditationibus in primam Philosophiam & responsionibus ad objection. nova*, ut sibi imaginatur, & peculiaria proponit. Sed ob vitandam prolixitatem, liceat hîc existentiam causæ primæ supponere, talis scilicet, quæ in genere causæ efficientis assumatur & intelligatur non tam proxima, quæ satisfacit quæstioni propter quid, ut loquuntur, quàm ita prima, quæ causa quidem aliorum omnium sit, ipsa verò nullam causam agnoscat. qualem causam solum DEUM Opt. Max. esse aliunde constat.

II. Sicut autem omnis causæ ratio consistit in influxu ad esse causati: ita causæ quoque primæ influxus non est denegandus. de quo constat utrinque, quod causa prima esse det aliis omnibus, quòd item esse datum in iis conservet & sustentet: Quæritur autem: *Nûm præterea causa hæc prima etiam in agendo concurrat cum causis secundis immediatè? Immediatè inquam & per se*, hi quippe termini hoc locò pro æquipollentibus, aut, si mavis, se invicem explicantibus, sumuntur communiter. Ita *Svarez: Dicimus tam esse certum, DEUM influere immediatè ac per se in omnem actionem creature, ut id negare, errorum sit in fide, quod probatur ex communi consensu Scholasticorum.* Ita etiam, qui ex Nostris supra m. I. §. 3. laudati sunt, eodem sensu terminis his utuntur.

III. At *Fr. B. Spei* nodum hîc in scirpo quærit. Videt *Concilium Tridentinum* definire, quod, *si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissivè tantum, sed etiam propriè & per*

& per se, anathema sit. Hæc Concilii autoritate cum urge-
tur, respondet n. 46. l. d. falsum est, quod aliquoties Ludovi-
cus à Dolo nobis ipsi adversarius ex Suario imponit, videlicet nos
docere Deum operari omnia opera nostra verè, propriè ac per se, cum
tamen dicamus expresse, operari immediatè ac proximè non esse o-
perari propriè, ita, ut taliter operanti verè moraliter attribua-
tur actio, unde consequenter volumus Deum opera mala, etiam
quoad entitatem Physicam & actionem non operari propriè & per
se sumendo ly propriè & per se pro, ut causa particularis, quomodo
ad mentem Concilii causam particularem explicimus; ea tamen,
ut sic operari propriè & per se, Physicè sumendo ly propriè & per se,
pro, ut causa universalis infra probabimus.

IV. Ad has incitas redigitur ille per autoritatem sui Con-
ciliabuli: Nos illam nihili habentes in ipso hic notamus per-
versionem phrasium, quod operari immediatè ac proximè nõ
sit operari propriè; quasi verò qui immediatè operatur, non
verè operetur, adeoq; causa immediata non sit vera causa:
quod operari propriè ille dicatur, cui taliter operanti verè
moraliter attribuitur actio, quasi verò causa tantum moralis
propriè agat, cum à multis planè negetur, causam moralem
propriè agere; quod licet à Nobis quoque alibi fuerit reje-
ctum, analogia tamen aliqua hic admittenda omnino est, ut a-
ctio propriè dicta magis conveniat causæ Physicæ, quàm mo-
rali: quod per se & propriè operari conveniat solum causæ
particulari; vel aliò modò, causæ solum universalis; quasi ve-
rò causa aut particularis tantum aut aliâ ratione universalis
tantum sit propriè dicta causa, vel etiam per se operetur. Hæc
certè omnia & similia plura evertunt communiter à Metaphy-
sicis approbatum usum horum terminorum, à quo tamen nõ
sine temeritate & contradictione recedere mavult hic Mona-
chus, quàm Concilium suum, apparenter saltem, ut aliàs
volunt, ipsi contradicens, deserere.

V. Quoad rem ipsam, non abs re utrumque,
quodd DEUS concurrat & immediatè & per se, rectè
conjugi puto: concursus enim ille causæ primæ sic
comparatus est, ut & non sine intentione procedat &
pro-

propriis viribus exerceatur. & effectum quoque revera producat. Eo igitur sensu hoc loco concursus causa prima immediatus & per se dicitur, quod ipsa, DEUS, non solum secundum suam Substantiam creaturis operantibus immediate praesens sit, sed etiam quod immediate cum iis influat & illas sustentando ac virtutem operandi concedendo, & potissimum immediate effectum attingendo.

VI. Hic vero incidere iterum illa controversia posset: *An Deus immediate concurrat immediatione virtutis vel immediatione suppositi?* quam prolixè aliàs tractare solent Scholastici, ut vel apud Cajetanum, Gregor. de Valentia, Vazquium, Svarium alios videre est. Sed maximam partem de nomine litigant, quam in re audire hic placet iudiciū Ad. Tanneri Tom. 1. Theol. Schol. disp. 3. q. 1. dub. 3. n. 6. ubi, si immediate, inquit, immediatione virtutis agere idem sit, quod agere virtute sibi intrinsecâ seu innatâ solum, tum quaedam Deus agit immediate immediatione virtutis (subjicit exemplum de creatione animarum, de qua tamen quid sentiendum sit, alibi exponitur) quaedam non, ut patet. Si autem idem sit, quod propria virtute & non ab alio acceptâ agere, ut vult Ferrar. tunc omnia agit DEUS immediatione virtutis. Eodem modo, si immediate immediatione suppositi est ipso supposito praesentem esse effectibus omnibus, in eosq. per se ipsum immediate influere, ut loquuntur Cajetanus & Greg. de Valentia, tunc omnia agit DEUS immediate immediatione suppositi. Si autem, quod cum aliis Vazquez vult, praeserea requiratur, ut nullum aliud suppositum in agendo interveniat, tum Deus non omnia agit immediate immediatione suppositi. Ita judicat Tannerus, quod non omnino displicet.

VII. Nimirum cum Deus non tantum quoad virtutem agendi, sed & quoad ipsam suam Substantiam omnibus agentibus creatis horumq. effectibus intimè praesens sit, hac ipsâ suâ praesentiâ virtutem agendi in illis conservando, adest enim suis creaturis tanquam creator, conservator, gubernator & motor omnium, tanquam causa omnium, agens & continens, ut ex Thome 1. q. 8. monere solent: Cum etiam virtus agendi in Deo non sit realiter à substantiâ diversa, neque extra substantiam

riam se diffundat, ut adeò quæcunque Deus virtute suâ attingit, eisdem etiam immediatè quoad Substantiam suam præsens sit: Cùm tandem Deus ut essentiam; ita & virtutem agendi suam non habeat ab alio extrinsecus advenientem, sed à seipso; certè, si DEUS immediatè concurret cum causis secundis ad ipsorum effectûs, id deimmediatione tam virtutis, quàm suppositi intelligendum erit.

II X. Sed & id addendum, quæstionem hîc esse de concursu DEI, ut causæ primæ, ordinario, quò ordinariè influere dicitur ad effectûs causarum secundarum: Ad præsens igitur institutum non pertinent, quæ de influxu DEI extraordinario ad miracula vel alios absolutæ suæ omnipotentis effectûs; vel etiam, quæ de concursu gratioso, quem DEUS in operibus gratiæ præstat, disputari solent. Malè enim hæc distinctissima inter se confunduntur.

IX. Solet etiam à nonnullis hîc controversiæ status restringi ad actiones agentium secundorum liberæ, non verò necessariæ, cùm non desint, qui ad has quidem concursum Deimmediatum concedant, ad illas verò negent, quò etiam inclinât *Lalemandetius clyp. 1. f. 150.* alii è contrario procedât. Nobis autem hoc quidem in loco illâ distinctione opus esse non videtur. Licet enim aliàs diversitatem actionum necessariarum & liberarum lubentes agnoscamus, influxum tamen causæ primæ quòd diversus etiam sit ad actiones necessariæ & liberæ, firmiter ab aliquo probatum nondum scimus. Accommodat quidem ille se ad modum agendi agentibus secundis convenientem, propterea tamen in se ita diversus non fit, ut nunc immediatus sit, nunc minimè.

X. Formari etiam à nonnullis quæstio præsens ita solet: An causa prima immediatè concurrat ad actiones causarum secundarum? ab aliis: an ad effectûs causarum secundarum? quæ quæstiones tamen distinctæ sunt. Nos igitur vitandæ confusionis gratiâ posteriorem hîc nostram facimus, id solum adhuc addentes, quæri hîc de effectibus causarum secundarum *secundum suam entitatem, aut secundum substantiam actûs*, ut loquuntur, consideratis, non verò de *defectibus* aut quibuscunque aliis ad effectûs illos extrinsecus ad-

B

veni-

venientibus. Atque sic tandem hoc in controversia verificatur:
An causa efficiens prima per se & immediate, inmediate & virtutis & suppositi ordinariè concurrat ad omnes effectus causarum secundarum secundum substantiam actus consideratos?

Membr. III.

Thesin exhibens & probans.

I. Nos communem sententiam facimus nostram, adeoque statuimus, quòd *causa efficiens prima per se & immediate, inmediate & virtutis & suppositi ordinariè concurrat ad omnes effectus causarum secundarum secundum Substantiam actus consideratos.* Hæc thesis sicut à plerisque tenetur; ita à variis variè probatur. *Roder. de Arriaga d. 10. Phys. 1. subf. 2.* ubi eandem nobiscum tenet, argumenta nonnulla pro eadem profert, ea tamen omnia certâ ratione solvi posse addit, & tandem sic procedit num. 21. *Quam ergò rationem pro immediato DEI concursu reddemus? Dico, illum de facto concurrere inmediate, quia supposita non-repugnantia in tali concursu, & eum Scriptura illum videatur significare, consentiant; Patres Ecclesie & tandem ferè omnes Scholastici Doctores, videtur hæc efficacissima probatio pro questionibus de facto. De possibili a. jã solum adverte, etiamsi quelibet ex adductis rationibus non sit efficax, omnes tamen simul sumptas satis probabiliter ostendere eum immediatum concursum.* Similia etiam apud alios reperias, sed illa satis frigida. Quanta enim quæso vis inest argumento Philosophico à non-repugnantia petito ad confirmandam existentiam per solam auctoritatem, eamque non divinam: dixerat enim *Arriaga* supra num. 9. *locâ Scripturæ posse utcumq; explicari sine immediato influxu, vel quia Deus conservat & disponit causas immediatas, vel quia permissio ipsum est necessaria conditio, ut causæ inmediate operentur, licet hoc malè; sed tantum humanam, ac si Philosophus, quem ibi etiam Arriaga agit, auctoritate humanâ solâ niti possit.* Vel num hîc probabilitate solâ contenti esse possumus, ut certitudinem non assequamur evidentem? Ita quidem videtur *Roderico*, cum in hoc à communi opinione discedat, quòd ipsi hæc thesis non sit *de fide* (quod jam nihil ad nos Philosophicè disputantes attinet) *nec certa.* Hoc autem
falsum

falsum esse, evincunt pauca, quæ sequuntur argumenta. Plura enim ob instituti & chartæ rationem addere non licet.

II. Primum igitur argumentum petimus ab immediatâ creaturarum, adeoque omnium agentium secundorum dependentiâ à Deo in esse. Labet hoc verbis Dn. D. Scharffii proponere. Ita ille l. 2. Pneumat. c. 5. §. 5. p. 363. *Quicquid immediatè & per se à DEO dependet in esse: idem quoque per se & immediatè dependet in operari: Atqui omnes creature in univèrsum per se & immediatè dependent à Deo in esse. Ergò omnes in univèrsum creatura per se & immediatè dependent à Deo in operari. Minor est certa: Implicat enim contradictionem esse rem creatam finitamq̃, & tamen non dependere in esse, & conservari à primo, vel ab eo, quod per essentiam suam est. Sic enim creatura staretur entia non dependentia: hoc autem est esse nō finitū, non creatū. Major probatur: Quia modus operandi sequitur modum essendi. Ut enim se res habet in esse suo: sic etiam in operari. Nec potest aliter. Operatio enim dimanat ab essentia, & est consequens essentia. Hinc quicquid habet finitam essentiam, habet etiam finitas virtutes & potentias operandi finitas. Et quicquid finitur in essentia, neq̃ omnem essentia perfectionem habet, idem quoq̃, necessum est finiatur in operari, neq̃ omnimodam operandi divini habere potest. Hactenus verba Dn. D. Scharffii. ex quibus sic inferimus: Quicquid à Deo per se & immediatè dependet in operari, ad illius effectū omnes DEUS immediatè concurrat: omnis causa secundæ per se & immediatè dependet à Deo in operari. E. Minor ex præcedentibus patet; Major confirmatur per rationem dependentiæ in operari.*

III. Respondet quidem Durandus ad hoc argumentum negando paritatem inter esse & operari, cum sufficiat, ut Deus immediatè conservet naturam, virtutemq̃ causæ secundæ; quam responsonem affert quoque Lalemandetius in clyp. 3. Quis verò non videt nudam hanc & probatione destitutam assertionem, eâ, quâ profertur, facilitate rejici posse, præsertim cum contrarium jam ante sit sufficienter probatum. Neq̃ majoris momenti est, quod idem Lalemandetius ad rationem §. monet, illas particulas non habere operari à se, dupliciter posse intelligi. ita, ut causa secunda non habeat virtutem

seu vim operandi à se, & in hoc sensu esse veram illam majorem. 2. Ut non possit elicere actum suum se sola, atque ita majorem negandam esse: Nam & sic purè negatur propositio probatione confirmata ac munita.

IV. Secundum argumentum petimus cum nonnullis à ratione effectuum, qui à causis creatis producuntur. Nimirum quilibet creatus effectus in primo instanti suæ productionis est ens aliquod verum, non minus, quam totò reliquò tempore, quò durat: Sed totò reliquò tempore, quò durat, à Deo pendet effectivè & per immediatam continuam conservationem. E. etiam in primo suæ productionis momento debet à DEO immediatè effici. Prima propositio patet: Quà ratione enim in continuata sua existentia à Deo dependet, eà etiam ab ipso dependet in primo suæ productionis momèto. Altera propositio non negatur à parte adversa utpotè quæ concursum causæ primæ formaliter in immediatà conservatione virtutis agendi potissimùm constituere solet. E.

V. Respondet Lalemandetius: *Concessã majori concedo e-
tiã in minori, quòd effectus statim atq; est ens, dependeat à Deo nõ
quidem effectivè, sed per conservationem; negandum autem est cõ-
Aureolo, quòd conservatio sit continuata productio: Atqui i-
diffidit ipse huic responsioni, dum paulò pòst ait: Ad hoc ar-
gumentum concedendum est, quòd Deus res omnes immediatè con-
servet, non tamen immediatò concursu ad earum productionem cõ-
currat. Ita quippè Major potius, quàm pars minoris propo-
sitionis negatur. 2. Minor propositio non fundatur immediatè in hoc, quòd conservatio sit continuata productio, sed in hoc potius, quòd conservatio sit immediata. 3. Sed nec illud ab Aureolo sufficienter negatur, quin potius contrarium à plerisque tenetur. Autores brevitatis causã omitto. 4. Neque tentata majoris propositionis negatio procedere potest. Ita quippè effectus causarum secundarum non dependent effectivè à Deo, utpotè qui non concurreret effectivè ad ipsorum productionem, sed conservaret modò causam effectivè in esse ipsorum influentem.*

VI. Tertiò urgemus pro nostra thesi, quod, si DEUS
con-

eo necessã & conservatã potentiã agendi, vel non-agendi crea-
tura, solum permittat creaturam agere, ipse verò planè non
concurrat immediatè, inde sequatur, quod **D E U S** nihil magis
præstet, cùm causa secunda agit, quàm cum non agit. Atqui
hoc est absurdum. Ergò & illud. Minor patet, qui a aliàs **D e-**
u s non esset propriè causa prima efficiens, neque concurreret
cum causa secunda. Cætera argumenta transceant.

Membr. 4.

Thesin ab objectionibus vindicans.

I. Collegit contra Nostram sententiam *Lalemandetius*
duodecim argumenta, quæ si omnia paucis tantum attingere
vellemus, limites præstitutos disputatio transliret. Omitti-
tur igitur hic studio ratio, quã à cõcursu **D E I** ad actiones cau-
sarum secundarum malas in primis prolixè urgere solent ad-
versum sentientes: Requirit enim illa materia prolixam tra-
ctationem. Interim quid sentiamus hic, suprã §. ult. membr.
2. in sinuatam fuit, alibi **C. D.** pluribus & accuratiùs expli-
candum.

II. Aliàs verò opponunt, quòd *Deus potuerit ab initio
dare rebus vim, quã sole producerent suos effectus. Ergò & Deus
fecerit. Probat consequentiam, quia quod est maxime decens
D E O, & congruum creatura non debet denegari creaturæ; sed ma-
gnificentiã & liberalitatis divina hoc modo melius appareret. Ad
hoc argumentum notat Lalemandetius in clypeo 4. quòd re-
sponderi queat, etsi posset Deus communicare vim potentiæ
se solã producendũ effectum, non sequi illam vim de facto cõ-
municãsse: Paulò verò post in confirmatione decisionis f. 171.
inquit: responsio rectè infert, quòd à potentiã ad actũ nõ valeat cõ-
sequentiã, Physicè loquendo, attamen in subjecta materia maxi-
mè valet: Nam Deus semper facit, quod est convenientius, quan-
doquidem est agens sapientissimum. E. cum potuerit id facere, sit-
que decens, ut id fecerit, prudenter dicendum est, id de facto fecis-
se.*

III. Sed primò adhuc pudeat Philosophum à posse

ad esse argumentari, præcipuè cum probatio addita nullius sit momenti. Non incomodè quippe huc trahere possumus, quod *Lud. à Vola apud Franc. B. Spei* de nostra sententia dicit, nos non debere existimare, majorem aliquam perfectionem fore in Deo si immediatè concurreret cum causis secundis: Potius non debemus in hoc divinam liberalitatem & magnificentiã quærere, maximè cum 2. antecedens etiam in datò argumentò falsum sit. Repugnat enim, creaturam in esse suo dependere à Deo, & non dependere ab ipso in operari ita, ut ipse cum creatura immediatè concurrat ad operandum.

IV. Pergunt verò ulterius: *Ordo agentium respondet ordini finium: sed non possunt esse duo fines immediati unius rei, ergo nec duo agentia perfecta & immediata respectu unius effectûs, ergo aut Deus aut creatura immediatè non concurrent.* Ad hoc argumentum respondere *Gregorium de Valentia* notat *Lalemãderius* negando minorem, cum possint unius effectûs esse plures fines in diverso ordine, ita scilicet ut alius ad alium tanquam ad universaliorem ordinetur, v. g. medicinæ finis perfectus in suo ordine est sanitas atque etiam Dei gloria, in quam sanitas & reliqua omnia sunt referenda. Pòst verò de hâc *Valentiani* solutione judicat, quod ea non sit ad propositum, nam, inquit, *sanitas ad gloriam Dei ordinatur tantum per accidens, argumentum verò procedit de finibus per se, unde malè negavit minorem.*

V. Verùm hęc *Valentiani* responsonem minimè evertunt. Fingit n. *Lalemãderius* contradictoriè finem per accidens, quæsi scilicet ullus finis citra intentionem agentis accidat: Teme-rè (ut nil dicam durius) negat. Sanitatem per se ordinari ad gloriam Dei, hęc quippe finis est ultimus omnium, ad quem cæteros vel intermedios vel ultimos in certo genere per se ordinari qui negat, ipsis terminis vim infert: Præterea etiam in finibus per se (liceat sic cum illo *ἀνευσαρχῆν*) minor propositio falsa est, quod ex variis finium ordinibus, respicientibus quâdoque unicum agens rectè deduxit *Valentianus*.

VI. Sed nec major propositio alio sensu vera est, quàm hoc, ut agentia ita debeant ordinata esse, quò finem intentionem in hoc ordine assequi valeant, ultra quem tamen hic malè ex-

le extenditur: cum omnino possint esse duo agentia subordinata, utrumque perfectum & immediatum in suo genere, quorum tamen unus sit finis immediatus, id quod vel in causâ principali & instrumentali proprie sic dicta patet.

VII. Quod verò vis hujus responsionis eò magis emineat, placet adhuc aliud subicere argumentum, quo subordinationem causæ secundæ ad primam infringere laborant. Ita illud proponit *Lalemantius* f. 156. *Necesse foret, si Deus concurreret cum causis secundis, ut concursus creatura subordinaretur concursui Dei: Sed hoc non, disparatorum enim unum non subordinatur alteri: sed Deus & Natura, in quantum sunt agentia, sunt disparata, quia agens per voluntatem & agens per necessitatem se habent disparatè.* Ad hoc f. 169. notat responderi posse, concedendo naturam & voluntatem secundum suum esse, disparata esse, at secundum suum agere seu in agendo habere quædam subordinationem: Sed huic f. 173. opponit, *quod id quod est disparatum in esse, sit etiam disparatum in agere, quia sicut se habet esse ad esse, ita agere ad agere.*

VIII. At his non potest everti communiter approbata sententiâ de subordinatione causarum secundarum ad primâ, ita quippe agunt causæ secundæ, ut & in essendo & in operando à primâ dependeant, præterea etiam quicquid agunt, sub influxu causæ primæ agant. Neque verò, quæ in essendo sunt disparata, semper etiam in agendo disparata sunt. Causæ namque sociæ quandoque sunt disparatæ in essendo, utpote quando v. g. equus & bos currum trahunt, non tamen propterea in agendo disparatæ sunt, stant enim pro unâ. Illud igitur: Sicut se habet esse ad esse, ita agere ad agere, valet non de esse in se considerato, sed cum respectu ad operationes, quarum est principium, ubi disparatis essentiis eadem vis agendi quod conveniat quandoque, experientia testis est.

IX. Unde patet, quod principium illud, in quo tamen vis oppositi argumenti maximam partem residet, *disparata scilicet non posse subordinari*, falsum sit. Imò potius e contrario dicendum videtur, causas subordinatas plerumque esse disparatæ naturæ, cum altera alterâ in agendo superior esse debeat.

X. Ha-

X. Habent, ut dixi, multa alia argumenta, quibus thesin nostram evertere conantur, è quibus præcipua sunt, quod Deus neque totaliter, neque non taliter det esse effectui, quod nec concurrat actione eadem, quâ creatura, nec diversâ, quod non possint duæ causæ principales concurrere ad eundem effectum &c. Sed quia hæc à Nostris etiam jamtum sufficienter soluta sunt, maneat ea ventilationi publicæ reservata. Quod si tamen quis de hac materia plura desiderat, poterit multa invenire apud *Doctores Scholasticos in 2. sent. dist. 1. & 37. ut & in 1. Thom. q. 25. 103. 105. ac in 1. 2. q. 109.* quibus si lubet, addere poterit è Philosophis præter hæctenus hinc inde citatos *P. Fonseca in 5. Met. c. 2. q. 7. s. 3. & in 9. c. 2. q. 1. s. ult. Mendozam d. 9. Phys. s. 2. alios.*

SOLI DEO GLORIA!

Corollarium.

EXhibuimus hæctenus specimen Decisionum Philosophicarum *Ioh. Lalemandetii*, ex quo de ejus studio novandi & lubricis, quibus niti solet, fundamentis judicare est: Lubet nunc huic aliam ejusdem affirmationem addere, quam contra communem Philosophorum & Theologorum sententiam defendere laborat disp. X. Log. partit. 1. Illa sequens ex Philosophia Platonicâ desumpta est: *Quamvis de fide sit, animas racionales non esse productas ante corpora, proindeq. scientiam, quam nunc habemus non esse propriè dictam reminiscenti- am, non tamen est contra fidem, imò ne contra Philosophiam, dicere quod DEVS in instanti, quo anima nostra un- sur corpori, ipsi animæ infundat habitus scientificos.* Inclinat etiam in hanc sententiam *Jac. Fournenc. in Synops. v- niv. Philos. T. 1. c. 53.* Sed eam in nostris Scholis re- censuisse, refutasse est.

Ung. VI 50

ULB Halle

3

004 186 672



f


Sb.

VD 17.

Jun. 2000 M.







B.I.G.

Farbkarte #13

L. S. N. J.
Tractatio Philosophica
QVÆSTIONIS:

An Causa prima immedia- tè concurrat ad effectus cau- farum secundarum?

JOHANNI LALEMANDETIO
*Minimorum per Germaniam &c. Provinciali potissimum
& opposita*

36

PRÆSIDE
M. JACOBO TENTZELIO

Colleg. Philosoph. Adjuncto
RESPONDENTE

JOHANNI RUDOLPHO KEGELIO

Pofonio-Hungaro.
*in Celebrissima Wittebergensi ad d. 1. Augusti
in Auditorio Minori
publice ventilationi
exposita.*

WITTEBERGÆ, Literis Johannis Haken, M DC LVII.

h. 10. 1996

